

In his igitur prima ratio suppetit, cur, quod sibi quisque, aut aliis debet, solerter præstet officium. Unde consequitur, ut officia religionis erga infinitum Numen non solum dignitate, sed etiam momento, atque ordine deductionis prima, præcipuaque censi debeant. Errant sane, et enorme quantum a vero aberrant, qui neglecto divino cultu, et insuperhabitis exercitiis pietatis, caritatem, justitiam, fidem, temperantiam hominibus ingenerari posse opinantur. Cum vero latissime pateant hominis in hominem officia, variique generis sint, recursum est ad analysin naturæ hominis, ex qua discere possumus, ad suas quamque doctrinam referre sedes, debitoque ordine collocare.

LXXVIII. Vulgo quidem segregari solet eorum tractatio officiorum, quæ ipsi nobis, et quæ aliis præstare jubemur; sed ad perspiciendas rationes fundamentales, quas vocant, officiorum, perquam conducibile visum est, ut in unum locum restituerentur, quæ male distracta sunt. Nam et natura communis est omnium nostrum; proindeque eadem officiorum istiusmodi origo est. Dein si quid aversamur, quod in nos ab aliis committitur, ne quid tale aliis faciamus, nostri ipsorum amor nos docet, uti et si quid nostri gratia ab aliis fieri avemus, ut idemmet vicissim præstemus aliis, natura nos commonefacit.

LXXIX. Amor cujusque in se, aliosque, et principium est officiorum, et in numero eorundem; sed nempe disjungere oportet pravum, et rectum amorem.

LXXX. Ordo quoque istiusmodi officiorum præscriptus est a natura.

LXXXI. Unde primum est hominis in hominem officium de sempiterna, ut ita dicam, captanda beatitate, et purganda, perficiendaque mente.

LXXXII. Proximum est de vitæ conservatione, et incolumitate.

LXXXIII. Ob quam causam naturali legi repugnant autochiria, homicidium, abortus etc.

LXXXIV. Quoniam dein natura præceptis suis existimationi cujusque, et famæ consulit, notiones eo pertinentes in primis explicandæ sunt.

LXXXV. Ex quibus consecraria profluunt non contemnenda.

LXXXVI. Expenditur jus tuendi famam et suam et alienam.

LXXXVII. Dein obligatio ejus conservationis, quatenus pertineat.

LXXXVIII. Vix quidquam severis et immutabilibus naturæ aut potius summi Conditoris legibus indiget, ac linguæ usus, et facultas sermocinandi; cum, ut S. Jacobus inquit, *linguam nullus hominum domare potest, inquietum malum, plenum veneno mortifero*. Jac. III. v. 8. Dubium non est, easdem leges ex gravioribus multo causis ad licentiam scriptitandi pertinere. Sed dilucularii nostri respondere mihi videntur: *labia nostra* (calami nostri) *a nobis sunt; quis noster dominus est?* Psalm. XI, v. 5.

LXXXIX. Naturalis est quædam arcani tenendi obligatio.

XC. Nulla est, quam auctores quidam excogitarunt, inter falsiloquium et mendacium differentia, spectando malum usum sermonis.

XCI. Neque ob id curiose cuivis interroganti continuo mens plane aperienda est. Usus æquivocationum, ut vocant, sensibilibus, et stratagematum iisdem nititur principiis et cautionibus.

CAPUT XIII.

Specialia officia hominis erga hominem determinat tristis favor necessitatis.

XCI. Diversis partibus, quibus natura hominis componitur, diversis item, quibus gaudere potest, generibus bonorum, totidem respondent genera miseriarum, aut certe discriminum, quibus identidem homo subjacet; ac tum *necessitas* agendi quidquam aut omittendi incidit, quod alio tempore non ageretur, nec omitteretur. Huic necessitati favores quidam a natura concessi sunt; simul tamen per naturales cautum est leges, ut servato finium ordine, et prætermisissis, aut etiam abjectis vilioribus bonis, ea, quæ præstantiora sunt, consecratur homo;

dein ne qua temere fingatur necessitas; quod non infrequens est. Avaro homini perpetua colligendi pecunias ante oculos obversatur necessitas; eoquod in proposito fine de comparandis vitæ subsidiis aureum mediocritatis gradum non videat, certe non teneat. Denique naturæ præceptum est, ne iniquis viis necessitati mederi quisquam curet. Hoc ergo loco generales illæ animadversiones, quas principio fecimus, de ordine, ac gradibus finium, aptaque mediocritatis accommodatione præsentissimum usum habent, ac quo crebriores sunt necessitatis obtentus, eo magis res enucleanda est.

xciii. In primis qualitas necessitatis, ejusque varii gradus indicantur; est enim alia communis seu vulgaris, alia gravis, alia extrema.

xciv. Natura favet necessitati, dum aliis similiter non laborantibus obligationem opitulandi imponit; unde quæstio facti de præsentis necessitate ejusque gradu, dein quæstio juris de obligatione succurrendi exoritur.

xcv. Quo loco tria spectanda sunt: facultas succurrendi, modus, et necessitatis gradus.

xcvi. Ex quibus certæ regulæ defluunt.

xcvii. Et quoniam jus necessitatis est strictæ interpretationis;

xcviii. Per illam, etsi extrema sit, communio bonorum reduci non videtur.

xcix. Aliud est necessitatis genus, quo conservatio vitæ nostræ cum vitæ alterius conservatione colliditur, idque vel tristi casu, et citra hominum culpam;

c. Aut ex injusta alterius aggressionem.

ci. Quapropter de justitia cruentæ defensionis disceptandum est.

cii. Pro rerum autem et temporum varietate istiusmodi vitæ suæ defensio aliquando præcepta, universe concessa est; fieri potest, ut vetita censeri debeat.

ciii. Eadem est disputatio de defendenda membrorum integritate, libertate, pudicitia.

civ. Demum de jure fortunæ suas defendendi non expedita quæstio est.

cv. Haud paulo aliter de famæ defensione est disserendum; quo loco manifestis iterum exemplis palam fit, quam pessime abuti soleant homines illo versabili dicto: jus ad finem dat jus ad media.

cvi. Proprius hic est de duelli moralitate disputandi locus. Exponitur ejus notio, et genus multiplex.

cvii. Cum universe præter ordines, gradusque finium, mediocritatis quoque sit consideranda ratio, jure quæritur, aptane honoris tuendi aut reparandi via censeri duellum possit.

cviii. Cum autem nequaquam possit; concluditur naturali juri id repugnare.

CAPUT XIV.

Uti pleraque hominum negotia, sic et plurima officia versantur circa res externas ad vitæ humanæ necessitatem, commoditatem, honestam jucunditatem necessarias.

cix. Indaganti origines eorum jurium, quæ in externis rebus ad vitæ humanæ usum conditis a natura attributa nobis sunt, redeundum est ad primævum earum statum, qui alius non erat, nisi communio rerum negativa.

cx. Inde recte philosophatur quisque de recessu hominum ab ea communione; justusne fuerit, et approbatus naturali jure, aut plane præscriptus. Indicanda vero et tollenda est hoc loco ea ambiguitas sermonis, aut falsa opinio, qua naturali obligationi adscribitur, si quod unicum est, non natura, sed temporum ratione remedium, quo naturali obligationi satisfiat. Similis se offeret controversia §. cxciv. de origine civilis status.

cx. His præmissis disquisitionibus notio domini ex-
ponitur.

cxii. Ejusque consecutaria enumerantur.

cxiii. Dominium acquirendi modus duplex, primigenius aut derivativus.

cxiv. Primigenius est occupatio.

cxv. Et accessio.

CXVI. Cum hisce modis sublata sit communio rerum; nullæne ejus reliquæ superstites sint, interrogatur.

CXVII. Aut jura ex primæva communione residua.

CXVIII. Inde ordo ducit ad indicandos modos acquirendi derivativos.

CXIX. In horum numero utrum testamenta sint recensenda, quæritur.

CXX. Quæ vim habent, non tamen a natura.

CXXI. Difficilior est decisio de successione ab intestato inter parentes et liberos;

CXXII. Inter quos ipsa videtur natura bonorum communionem constituisse.

CXXIII. Præter verum dominium, de quo hactenus actum, aliud ejus genus, quod interimisticum vocant, est admittendum. Ejus fundamentum situm est in rerum humanarum instabilitate, et justa hominum ignorantia.

CXXIV. Ex principiis naturæ dirimi potest celebris controversia de fructibus virtualiter extantibus a possessore bonæ fidei restituendis.

CXXV. Longe aliter de possessore malæ fidei jus naturæ decidit.

CXXVI. Denique usucapio, utrumne naturalis an positivi juris creatura sit, quæritur, hoc est, utrum natura, an legibus arbitrariis ad modos acquirendi referri debeat.

CXXVII. Explicatis domini et possessionis juribus, delicta iisdem maxime opposita innotescunt.

CAPUT XV.

Jura et obligationes ex pactis et contractibus provenientes.

CXXVIII. Pacta et contractus ad modos acquirendi derivativos pertinere, non videtur in dubium posse revocari; etsi contingat aliquando, ut ex iis jura proveniant, quæ antea non extiterant, ut sit constituto primum jure pignoris, aut imposita fundo servitute. Placet Grotii sententia, asserentis, jus illud, quod in alterum transfertur ope pacti, virtute quadam penes transferentem antea extitisse. At Pufendorfius totum istud dubium

explodit de J. N. et G. L. VII, C. III, n. 4. ubi ita disserit: « Valde puerile est credere, in rebus moralibus, quando jus quodpiam, aut quævis qualitas moralis in alterum collata dicitur, necessum esse, ut eadem prius alicubi separata existat; quin potius jura et alias qualitates morales mutua voluntatum conspiratione per pacta resultare, in aprico est. » Similis disputandi subtilitas in controversia hæret, qua origo majestatis civilis indagatur. Conf. §. cciv. In proposito igitur argumento notio pacti primum exhibetur.

CXXIX. Substantialia pacti ex jure paciscendi, consensu paciscentium, et materia pacti pendent; quæ expendenda sunt ob eam causam, quod in quavis contractuum classe ac specie insit ratio generica pacti, ejusque substantialium.

CXXX. Formam pacti efficit conditio,

CXXXI. Dies pacto adjectus:

CXXXII. Modus, arrha, causa, demonstratio, disjunctio.

CXXXIII. Effectus pacti est obligatio, ac jus productum; ubi generatim de servanda pactionis fide agitur.

CXXXIV. Ab hisce generalibus ad classes contractuum descenditur.

CXXXV. Et species ac quasi familiæ contractuum continua differentiarum serie enumerantur.

CXXXVI. In specificis contractuum determinationibus insunt substantialia, naturalia, accidentalia.

CXXXVII. Hisce expositis demum ostenditur, quomodo leges pactorum et contractuum ad datum negotium applicentur ope duplicis ratiocinii.

CAPUT XVI.

Ex neglectu officiorum, de quibus hactenus tractatum est, frequens oritur obligatio restituendi, quod debetur; eaque peculiarem expositionem postulat.

CXXXVIII. Quæ de restitutione creberrimo usui est doctrina, jure naturali tota nititur. Primæ ejus notiones adumbratæ sunt, cum de jure indemnitis §. xv. (g), deque juribus perfectis, eorumque læsione §. xvii.

(d. e. f.) ageretur. Accuratio rerum ad eam pertinentium expositio, deductioque uno videbatur cumulo congerenda; quoniam tractatio ipsa et ampla est, et principiorum nexum, ac jurium analogiam exhibere debet. Primo igitur, quid inter restitutionem et satisfactionem intersit, quæ confunduntur sæpenumero, indicandum est.

CXXXIX. Dein obligatio restitutionis quas habeat origines, aut rationes sufficientes, quæ *radicum* nomine veniunt, inquirendum. Vulgo radix restitutionis statuitur duplex: primo res accepta.

CXL. Dein injusta acceptio. At nempe injusta esse potest tum in se spectata actio, etsi animo non malo edita sit; dein quod pravus etiam nocendi animus præsto fuerit. Unde

CXLI. Novæ de dolo, culpa, casu fortuito quæstiones prodeunt.

CXLII. Constituitur primo ea, quæ minime ambigua est, obligatio restituendi ex injusta acceptione proveniens.

CXLIII. Inde ad ambiguas obscurasque controversias fit progressio, et excutitur vulgata apud scriptores thesis: *nemo (secluso contractu) tenetur ad restitutionem damni a se illati, nisi in eo inferendo culpam admisit theologiam contra justitiam.*

CXLIV. Eorum, quæ disputata sunt, applicatio fit ad casum, quo quadrupes pauperiem fecisse dicatur; ad actiones præterea noxales.

CXLV. Sunt vero nonnullæ aliæ quæstiones de damno dato, quas distingui et segregari necesse est.

CXLVI. Præter rem acceptam, et injustam acceptionem tertia est radix restitutionis contractus, cujus aliquando primaria, aliquando accessoria est obligatio restituendi.

CXLVII. Ex conflictu conservandi eodem tempore res nostras et alienas nova provenit disputatio.

CXLVIII. Quæ in contractibus inesse debeat æqualitas.

CXLIX. Quarta radix restitutionis in quasi contractibus hæere dicitur.

CL. Quia datum damnum, uti actio, qua infertur,

pluribus sæpe imputari potest, nova emergit lis, si a pluribus datum sit damnum, quis præ ceteris adstringatur ad illud reparandum.

CLI. Ex consilio nocendi dato, quæ proveniat obligatio restituendi.

CLII. Ex consensu plurium:

CLIII. Ex palpo, et dato recursu.

CLIV. Ex participatione.

CLV. Ex negativis imputationum modis.

CLVI. Non semper expeditum est decidere, *quid, quantumve* restitui oporteat.

CLVII. Quo tempore:

CLVIII. Quo loco? cujus cura et sumtibus?

CLIX. Cui facienda sit restitutio?

CLX. Regulæ ordinis, quas natura præscribit pro concursu creditorum.

CLXI. Cum obligatio restituendi sit in numero positivorum obligationum, quæ facultatem, tempus, opportunitatem poscunt, discutiendum restat, quæ sit justa causa differendi restitutionem aut omittendi, idque ex capite triplici:

CLXII. *Primo*, quando id, quod ereptum est, natura sua reparari non potest:

CLXIII. Aut res illa, quæ debebat restitui, interiit.

CLXIV. *Secundo*, si debitor omnino eget, nec par est solvendo aut restituendo.

CLXV. *Tertio*, si creditor recuperata re sua male usus est: si inveniri non potest, quæque sunt istiusmodi,